



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Ad quid præterea stuprator Virginis in variis casibus obligetur ab stuprum illatum, vel non?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

SECTIO II.
De stupro eiusque
pœnis.

§. I.

*Quid sit stuprum strictè, & speci-
ficè sumptum, & quomplex. sive quot
modis committatur.*

STuprum latè acceptum pro omni il-
licito concubitu masculi cum fœmina
sumitur, propriè tamen, & strictè di-
ctum, de quo hîc sermo est, est illicita
virginum defloratio; & quidem si hoc
fiat cum violentia, proprièssimè dictum
stuprum est, si tamen volenti virginitas
corporis auferatur, stuprum quidem
est, sed non violentum. Illud mali-
tiam specie distinctam à simplici forni-
catione continet, contra iustitiam; non
autem hoc (cùm volenti & consentienti
non fiat injuria) sive deinde interve-
nerit etiam consensus parentum, aut
tutorum, sub quorum cura puella con-
sentiens vivit, cùm penes puellam v. g.
sit, sui corporis usum alij concedere.

§. II.

*Quæ sint pœna stupri decreta de
jure civili, ac canonico.*

QUæ pœnæ de jure civili in stuprato-
rem sunt latæ, in terris Imperij vix
locum habent, cùm etiam hæ hodie
factæ sint arbitrariæ, sed servatur pœna
quæ de jure canonico lata, si civiliter
scilicet contra stupratorem agatur: nem-
pe, quoddam virginem stupratam dotare,
vel in uxorem ducere debeat, prout
colligitur ex c. 1. & 2. h. t. dotando scilicet,

eam, si nubere illi nolit, aut potest
tradere nolit, ad quod neutra pars com-
pelli potest; & dotando eam juxta quo-
litarerum personæ, ut quæ bene natus
possit, ac si corrupta non esset, &
quamvis de Clerico stupratore SS. Ca-
nones statuunt, hodie tamen etiam illi
deponendus, quod ab officio illi
pœna est arbitraria.

§. III.

*Ad quid præterea stuprator Vir-
ginis in varijs casibus obligetur ad stu-
prum illatum, vel non?*

S^I per vim, fraudem, minas, aut mo-
rte injustè incussum consentiam puellæ
in sui defloratione evocet stuprator,
teneri hunc ad omnia damna illi etim-
de subsecuta reparanda, juxta naturam do-
cet, vel per matrimonium cum illa con-
tractum, si stuprata velit, vel per dotem
competentem illi subministratam, vel
per augmentum dotis, ut æquè bene no-
bere possit, ac si corrupta non fuisset,
ita ut penes violatam sit eligere, quæ
satisfactionem fieri sibi velit, & ipsam
sententiam condemnantem Judicis, ad
talem determinatè satisfactionem, obla-
getur stuprator, modò hæc non no-
tabiliter majus damnum et tali repa-
ratione imminet. Quod si tamen nullum
ex tali stupro stupratoris damnum per
æstimabile, sequeretur, ita ut æquè
commodas nuptias habeat, ac si corrup-
ta non fuisset, aut si libere & sponte
sua, nulla fraude, aut vi inducta con-
sentit in sui violationem, vel blandip-
tantum, munusculi, precibus &c. pro-
suasa fuit, ad nihil tenetur stuprator,
cùm ubi nullum damnum datum est,

nulla possit esse damni reparandi obligatio, neque volenti fiat injuria, quæ reparanda sit; & quamvis parens, sub cuius potestate constituta est filia, dotem augere debeat, ut æquæ bonas nuptias obtineat, ac si deflorata non fuisset, si tamen volens illa fuit ad sui deflorationem, nihil patri restituere debet stuprator, cum damni causa non sit stuprator, sed filia liberè consentiens in sui deflorationem, penes quam etiam libertas est bene vel malè nubendi.

§. IV.

Ad quid teneatur, qui stupravit virginem, sub spe ac promissione Matrimonij?

SI serio animo promittit matrimonium, & illa hac promissione inducitur in copulam consentit, tenetur promittens eam ducere (quia reciprocus & onerosus est contractus talis, ita ut alter etiam obligetur ad fidem servandam, nisi de novo intervenerit dirimens impedimentum aliquod, quod contrahere matrimonium tale non permitteret) etiam si promittens voto simplici castitatis, aut religionis obstrictus sit, cum votum non obliget in præjudicium juris, quod femina corrupta sub promissione matrimonij acquisivit; neque Deo placeat voti facti observatio, quod sine gravi alterius injuria servari non potest: quia etiam, si fide promittendo matrimonium, consensum in stuprum obtinuit, tenetur eam ducere, si ipsa velit; nec satisfaciet suæ obligationi pecuniam dando, pro damno per stuprum illato, quia ex contractu oneroso ex una parte im-

pleto, ad matrimonium determinatè obligatur per æquivalens non implendo, nisi ipsa violata consentiat, aut notabilis excessus sit promittentis, supra conditionem fœminæ, præsertim si de eo excessu ipsi etiam violatæ constitit, aut ex verbis ambiguis promittentis, vel ex alijs circumstantijs, fallacem animum facile colligere potuit; aut promittens etiam à violata, quæ fingebat se virginem, deceptus fuisset; aut alia notabilis mutatio interveniret, vel scandalum, vel malus etiam exitus ex tali matrimonio timeri posset.

§. V.

An stuprum sit crimen mixti fori & quomodo probandum?

Contra Clericum stupratorem cognoscit Iudex Ecclesiasticus, contra Laicum stupratorem Iudex secularis; & quamvis sit crimen mixti fori, ita ut si pœnâ Canonicâ tantum puniendus sit stuprator, Ecclesiasticus Iudex etiam contra Laicum stupratorem procedere possit; si verò pœnâ Civiles in stupratorem à jure Civili, aut receptâ consuetudine statuta, imponendæ sunt, ad Iudicem Laicum cognitio hujus criminis pertinet: ita tamen ut violata in foro externo præsumatur fuisse Virgo, si communiter pro tali tempore stuprationis habita fuit, & stuprator, si neget eam Virginem fuisse, tempore, quo cum eam habuit, debeat hoc probare, quia præsumptio fiat pro puella in re ista, de qua meritò gloriantur puellæ, & mulierum sollicitæ sunt: quæ tamen præsumptio, si Iudicem quidem inducat ad do-

Ecc ee 2

tem